

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: [digibib.ub@uni-rostock.de](mailto:digibib.ub@uni-rostock.de)

---

Johann Christian Burgmann

**Pro-Rector Hibernvs Ioann. Christian. Bvrgmann, S. S. Theol. D. ... Pascha  
Anastasimon Dormientivm Primitiis 1 Cor. XV. 20. 23. Christo Redivivo Sacrvm,  
Civibvs Academicis ... Pie Transigendvm Qvam Adsidve Commendat**

Rostochii: Typis Ioann. Iacobi Adleri, [1749?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004035829>

Druck    Freier  Zugang





F. 512.

—  
1749. Ostern

A-1256.<sup>201</sup>

07.1749

RECTORE ACAD. MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPĒ AC DOMINO,  
**DOMINO FRIDERICO,**

DVCE MEGAPOLITANO,  
PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI, COMITE SVE-  
RINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE,  
DOMINO,  
PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO



PRO-RECTOR HIBERNVS  
**IOANN. CHRISTIAN. BVRGMANN,**

S. S. THEOL. D. ET PROF. P. O., FAC. THEOL. h. DECANVS,  
ET AD AED. SP. S. PASTOR,

PASCHA ΑΝΑΣΤΑΣΙΜΟΝ  
**DORMIENTIVM PRIMITIIS**

1 COR. XV. 20. 23.

CHRISTO REDIVIVO  
SACRVM,

CIVIBVS ACADEMICISO. O. HONORATISSIMIS  
PIE TRANSIGENDVM  
QVAM ADSIDVE COMMENDAT.

ROSTOCHII,

TYPIS IOANN. IACOBI ADLERİ, ACAD. TYPOGRAPHI.

M. 1256 301.



DOCTORAL DISSERTATION

THINKING ABOUT THE PRACTICE OF ACADEMIC COMMUNITY  
BRIEFER THESIS FOR THE GRADUATE SCHOOL OF THE UNIVERSITY OF ROSTOCK

BY VASILY V. GORODNIKOV

PROFESSION: HISTORIAN

JOANNA CHRISTINA DURGOM

ПАВАЛАНСКАЯ

СОВРЕМЕННОСТЬ

СОВРЕМЕННОСТЬ

CHRISTINA DURGOM

СОВРЕМЕННОСТЬ

СОВРЕМЕННОСТЬ

СОВРЕМЕННОСТЬ

СОВРЕМЕННОСТЬ



Sacra recolimus, quae Duci vitae a morte reduci dedicata, Pascha-  
tis nomine communiter insigniuntur. Fluens in simulo ciente,  
qui hanc adpellationem tot Saeculorum vsu & sermone tritam exagi-  
tant, velut CHRISTI resurgentis festiuitati minus accommodam (a)  
Nomen quidem, s. hebraicum, s. potius chaldaicum, rectius a praeter-  
grediendo, seu, quod GVSSETIVS (b) mauult, transiliendo, quam  
a condonando, ut Karaei sentiunt, (c) ipso SPIRITV S. indice, *Exod.*  
*XII. 27.* deductum, sensu grammatico hue non quadrat; sed vocabu-  
la vsu, quam etymo potius aestimanda esse, quis ignorat? Nec tam ad  
vocis originem, nisi per adlusionem, quam ad rei mysterium digitos  
intendisse, crediderim, Patres Graecos & Latinos, qui Pascha per pas-  
sionem CHRISTI interpretati sunt. (d) Qui primitiae ecclesiae sta-  
ras rediuiui CHRISTI ferias primi dederunt, iis non alia de caussa, e-  
tymo dimisso, Paschatis titulum indere voluerunt, aut potuerunt, quam  
ut eodem festum designent christianum, quod Paschatis Iudaici vicem  
subeat, quemadmodum PAVLVS baptismata circumcisioem CHRISTI  
vocat, quoniam in huius locum, illud N. T. Sacramentum successit,  
*Col. II. v. 11. 12.*; aut prout ius sacerorum vulgo salutatur ius episo-  
pale, quod episcopi sibi quondam insolenter arrogauerant, suoque fi-  
bi iure Principes Protestantes vindicarunt. Etenim Romanae cetera-  
rumque Europae ecclesiarum antistites, quos peculiare resurrectionis  
CHRISTI festum primos instituisse, eique diem Dominicam dixisse,  
in confesso est, non alio consilio id Pascha adpellitarunt, quam ut illud  
Iudeorum opponerent Paschati, ab eorumque societate non solum die,  
sed & nomine ad christianorum sacra relato, longius se remouerent.  
Ipsi Graeci praeter pascha *σαυρώσιμον* celebrarunt *άρατάσιμον*, CHRI-  
STO

A 2

(a) Vid. ANT. BYNAEVS *de morte I. C. L. I. C. 1. p. 13. sqq.* praesertim § 30.

(b) *Comment L. Ebr. p. 1312.* : *delle transit, retine transiliit.*

(c) conf. IO. GOTTH SCHVBARTI *Dissertationes de secta Karaeorum 1701.*  
coniunctim editae *C. IV. §. XIII. p. 133. sqq.*

(d) v. g. TER FULLIANVS aduers. *Iudaeos C. X. Opp. ed. 1641. p. 222.* &  
GREGORIVS NAZIANZENVS, pro quo disputat CASAYBONVS *Ex-  
ercit. adu. BARONIVM n. XIII. p. 242.* —

STO reuiuiscenti consecratum, & a Paschate Iudaico die simul distin-  
ctum. Persuadere hanc illis denominationem facile potuit Iudaici Pa-  
schatis penitior consideratio, & cum resuscitatione CHRISTI facta com-  
paratio. Iudaici Paschatis natales nobis aperit S. codex, in Aegypto  
quaerendos. Sub exitum namque ex hac terra DEVS festum illud san-  
xit, tamquam anniuersarium, quois anni ecclesiastici mense primo,  
Abib seu Nisan, eiusdemque die XIV. ( si tempus maestationis & cele-  
brationis ordinariae spectes) ab Israelitis repetendum. Innexum ei  
fuit, si a Paschate Aegyptiaco discedas, festum azymorum, cum quibus  
agnus Paschalis comedendus erat; ab eo tamen separatum, vtpote per  
septiduum a die XV ad XXI eiusdem mensis decurrentis. (e) Poti-  
tissimum huius solemnitatis beneficium fuit sacrificium praeterireficium,  
a quo hoc festum praecipue denominatum est. (f) Agnus namque  
Paschalis, tamquam alterum V. T. Sacramentum, fide vescientibus re-  
missionem peccatorum obsignauit; Israëlitarum Aegyptiacorum domos  
sanguine adspersas a percussore defendit, eosque mox in libertatem ad-  
seruit. *Hebr. XI. 28.* Vtrumque festum, tam Paschatos, quam azymo-  
rum, beneficiorum atque officiorum spiritualium vimbra fuerunt, Etenim  
agnus Paschalischristum; illius maestatio huius passionem & mortem;  
comestio spirituale manducactionem, non sacramentalem S. coenae; li-  
beratio a percussore & seruitute Aegyptiaca, immunitatem ab ira DEI &  
morte; azyma pietatis sinceritatem & veritatem repraefendarunt, *1 Cor.*  
*V. 7. 8.* (g) Existimari hinc potest de Paschate christianorum, quod  
hi in Iudaici locum suffecerunt; sed diuerso respectu. Orientales Iu-  
daeis viciniores, pascha eadem cum his die, ac in memoriam passionis,  
& mortis CHRISTI, vt & S. coenae peregerunt (h). Occidentales con-  
tra a Iudeorum commercio longius seiunet, ne quid cum iis commu-  
ne habeant, diem dominicam, qua CHRISTVS reuixit, Paschati, idque  
CHRISTO resurgentи delinarunt. Vtrique feriis suis, vtvt die, sco-  
po & die distinctis, idem Paschatis nomen imposuerunt; nec iniuria. Il-

li

(e) vid. BOCHARTVS *Hierozovici Part. I, L, II, Cap. L* integro, &, qui in-  
star omnium esse potest, vir doctrina, meritis, annis maxime venera-  
bilis D. D. CARPZOVIVS *Apparatu Antiquit. p. 394. sqq.*

(f) D. SEB. SCHMIDIVS *de Pasch. P. III. C. I. p. 275.*

(g) IO. MEYER, *de origine & causis festorum Iudaicor. C. VII. p. 191. qq. ed.*  
*Amst. 1693., & WITSIVS *Oecon. soeder. Dei L. IV. C. IX. §. 31. p. 623. qq.**

(h) SVICERVS *thes. Eccles. T. II. p. 622. sqq.*

li CHRISTVM crucifixum & mortuum, quem agnus paschalis adumbrauit, & S. synaxis in memoriam reuocat ; hi liberationem spiritualem, quam Israëlitarum praeteritio & eductio significarunt, tamquam fructum resurrectionis CHRISTI, Ephes. II. 5. Col. II. 13. 14. respexerunt. Hanc rationem, cur festum resurrectionis Pascha dictum sit, reddit CEOLFRIDVS, abbas, litteris ad regem NAITANVM datis (i) : *Votina paschae nostrae festa celebramus, ut indicemus, nos non cum antiquis excussum Aegyptiae Jeruitutis iugum venerari ; sed redemtionem totius mundi (quae in antiqui DEI populi liberatione præfigurata, in Christi autem resurrectione completa est) deuota fide ac dilectione colere.* Quam denominandi rationem cum nos, reliqua deriuatione, sequamur, resurrectionis CHRISTI festo Paschatis nomen tribuentes, quo iure nobis id vitio dari, aut in errorem imputari queat, vix adparet. Declarari hinc possunt dissensiones inter Ecclesias Asiaticas & Europaeas de Paschate, Saec. II. & III. Episcopi Romani fastu concitatae, & non nisi Saec. IV. Conciliis, Nicaeno atque Antiocheno terminatae. Scilicet cum Europei soli Dominicae, qua CHRISTVS e sepulchro egressus est, Paschatis nomen & festum sacrum esse iuberent, nec aliud cognomine festum cum Iudeis commune ferre cuperent : Asiatici praeter singulos dies dominicos, resurgentis Saluatoris memoriae dicatos, nullum aliud peculiare resurrectionis festum celebrarunt, solum passionis & mortis CHRISTI festum, cui eundem cum Iudeis diem adsignabant, Paschatis nomine censentes. (k) Ex quibus intelligitur, de nomine quidem, non autem solo, tum concertatum fuisse, nec item hanc in meram abiisse logomachiam. Interim dum vtraque pars apostolorum autoritatem, Europei PETRI & PAVLI ; Asiatici IOANNIS & PHILIPPI in caussae præsidium excitarunt, sequiori aevo disputatum est, num Pascha N T. ab apostolis profectum sit ? Libri symbolici (l) id affirmant ; sed fide decreti apostolici, quod EPIPHANIVS (m) producit, nec constitutionibus apostolicis, quae hodie circumferuntur, labefacta-

A 3

ri

(i) Recitat haec verba Beda L. V. Hist. Eccles. C. XXII.

(k) Duo Asiaticorum Paschata memorat EVSEBIVS de vita Constantini M. Lib. III C. XVIII. p. 493. quia procedente tempore dies etiam Dominicus quae memoriam CHRISTI patientis excepit, Paschatis nomine venit.

(l) Apol. A. C. p. 154.

(m) Adu. baereses, n. LXX. contra Audianos, p. 368.

ri potest (n). Repugnare tamen videtur SOCRATES (o), qui fustum & tempus Paschale a consuetudine inolira, non lege apostolica arcessit, & tam de Orientalibus, quam Occidentalibus, qui ad traditionem apostolicam se receperunt, pronuntiat: *neutri tamen ad huius rei confirmationem scriptum aliquod testimonium proferre possunt.* Ipse vero nec Asiaticos nec Europaeos mentitos esse, cum Vener. D. D. MOSHE-MIO (p) dixerim, cum fieri potuerit, vt legati Seruatoris hanc varietatem grauissimis de caussis imperauerint. Persuadet id mihi EVSEBIVS (q), tot testes & testimonia, quibus apostolica traditio confirmata sit, dinumerans. SOCRATEM etiam cum EVSEBIO in concordiam redigi haud aegre posse, reor, quandoquidem ille differit de lege, eaque vniuersali & perpetua; hic de ordinatione diuersa, diuersis locis commendata, quam olim ab apostolis, sicut hodie a christiano magistratu, salua libertate, praescribi potuisse, lex N.T. ecclesiastica generalis i Cor. XIV. 40. dubitare nos non sinit. VICTORIS quidem, episcopi romani, non immerito culpatur animus impetuosus & arrogans, qui Orientalibus Occidentalium diem obtrudere conatus, obnitentes bruto fulmine percussit; sed nec Orientales laudandi sunt, adeo difficiles, morosi, suaeque consuetudinis tenaces, vt ne concilii quidem Nicaeni Oecumenici, sententiae cedere, pristinumque morem abrogare voluerint. Nos certe nostra vtimur libertate, Synodi Nicaenae canonis insistentes, & paschati christiano s. resurrectionis festo, diem Domini cam, eamque, quae nos a Iudeis diuidat, statuentes. Id autem, quod princeps est, praeter ceteris curemus, festi laetissimi beneficia ad animum altius reuocantes. Quorum non postremum esse resurrectionem ad vitam beatam, testis est PAVLVS i Cor. XV. 20. 23. : *Iam vero Christus resuscitatus ex mortuis est, primitiae dormientium factus. Quilibet in proprio ordine: primitiae Christus; deinde qui Christi, in aduentu ipsius.* Insinuatur his verbis resurrectionis Domini, tam veritas, quam ad nostram

(n) conf. laudati D. D. CARPZOVI exerc. theol. *de synagoga cum honore sepulta, praef. D. SONNTAGIO olim habita Sect. I. §. X. p. 19. sqq.* nunc ad calcem apparat, antiquit, recusa p. 793. sq., & Ven. DD. BAVMGARTEN Erleuter. der symbolisch. Schriften p. 98. 99.

(o) Hist. Eccl. L. V. C. XXII. p. 283-285.

(p) Institut. Hist. Christ. antiqu. p. 283.

(q) Hist. Eccl. L. V. C. XXIII-XXV. p. 190-194.

stram resurrectionem relatio. Veritatem illius significaturus Apostolus inquit : *Iam Christus ex mortuis resuscitatus est.* Adstruxerat praecedentibus eam, partim directe, prouocans ad diuinam institutionem, V. T. praedictionem, rediuiui adparitiones, propriam tandem experientiam, v. 1. 3. sqq.: partim indirecte, ostendens v. 13. sqq. consecratio noxia, quae negatam Saluatoris resurrectionem necessario nexu comitentur (r). Quibus copiose deducetis, concludit : *iam vero Christus resuscitatus ex mortuis est.* Quasi dicat : indissimulabile iraque est, CHRISTVM vere surrexisse, s. vt optime Vener. Dn. D. HEVMAN-NVS conuertit : *Nun aber ist (es gewiss, dass) Christus von den Todten auferwecket worden.* Pertinet nimirum resurrectionis CHRISTI veritas ad *τὰ πρώτα, v. 3.,* quae euangelium de CHRISTO tradit, quibus religio Christiana innititur, fiducia sustentatur, consolatio & spes confirmantur. Ea de causa primi euangelii praecones, apostoli, testes se vocant resurrectionis CHRISTI, *Act. III. 15. X. 41.,* eamque animo complectendam, & continuo retinendam commendant, *Rom. X. 8. 9. 10, 2 Tim. II. 8.* Contra Iudei & Graeci, quibus CHRISTVS crucifixus scandalum & stultitia praedicatus est, *1 Cor. II. 23.,* redditum IESU Nazareni in vitam explodunt, id omni conatu agentes, vt gloriam vitae receptae, quae scandalum adcepimus tollit, stultitiam crucis imaginariam dissipat, eripiant eidem. Vere AVGVSTINVS : (f) *mortuum Christum & pagani credunt : resurrexisse autem Christum propria fides est christianorum.* Paganis aperte se SPINOZA adsociat, litteris ad OL-DENBVRGIUM scribens : (t) *Christi passionem, mortem & sepulturam tecum literaliter adcipio (adfirmo); eius autem resurrectionem allegorie (nego).* Ut impietati speciem induant, nil relinquunt intentatum. Ut praeteream, quae ex S. litteris corraduntur, v. g. praedictioni Matth. XII. 40, euentum non respondisse, mox CHRISTVM fraudis, mox eius discipulos s. stupiditatis s. imposturarum coarguant. CELSVS, philosophus s. Epicureus, s. Eclecticus, omnes has strophas in partes vocavit, *huc illucue diuagans,* ne rima desit ad elabendum (v).

Ple-

(r) vid. D. GOTTFR. OLEARII, *demonstratio Apostolica resurrectionis I. C.*  
ex *1 Cor. XV. 3. sqq.*, quae adhaeret obseruat. *S. ad Matth. p. 741. sqq.*

(f) contra FAVSTVM Manich. L. XVI. C. XXIX. Opp. T. VI. p. 409.

(t) *Epist. XXV. Opp. posthumor. p. 458.*

(v) ORIGENES de Verit. R. C. adu. CELSVM L. II. C. IX. p. 224. sqq. 234.  
not. 10. edit. MOSH.

Plerique habent, quae in testibus requirant. IS. OROBIO, Iudeo inclinantis superioris saeculi Hispano, non sufficiunt homines aliqui, iisque priuati (x). TH. WOOLSTON (y) historiam resurrectionis incredibilem putans, quaerit, cur CHRISTVS, si vere reuixisset, proceribus & populo conspicendum se non praebuerit? Adderem Anonymum Gallum (z), nisi paullo ante supplicium nefarias schedas retractasset. Quid his autem immorari adtinet, quae a viris doctis solide profligata sunt? (a) Intermittere tamen nequeo, quin famosum illum EDELMANNVM in scenam producam, ut ex hoc quoque specimenine innocescat, sycophantam vanissimum, detractis cauillis, conuitiis, dicterioris, non tam despere, quam furere. Summa gerrarum blasphemarum hue redit. 1. CHRISTVM, teste PETRO I Ep. III. 18. secundum Spiritum, non secundum carnem, h. e. metaphorice, resurrexisse (b). Ex. (a) PETRVS subiectum quod, de quo differit, in duas diuidit naturas, adserens, CHRISTVM iuxta humanam naturam, tamquam subiectum quo, intersecutum; in Spiritu, s. per diuinam naturam vivificatum esse. Mors etenim, quatenus animae corporisque dissolucionem inuoluit, non ad Diu. naturam formaliter spectat, sed solam humanam, tam ratione animae, quam corporis consideratam. Vivificatus autem CHRISTVS est non secundum Diuinitatem, quae formaliter mortem nec oppetierat, nec opperere, adeoque nec vivificari potuit; Sed per diuinitatem, cuius virtute sibi vitam ipse reddidit. (b) Ineptit EDELMANN, spiritum de anima CHRISTI explicans. Quamquam enim CVDWORTHVS & WHISTONVS, diuerso tamen instituto, spiritum in s. litteris obuim, ad Platonicorum exigant principia, indeque vel de corpore subtiliori, vel de anima rationali sensitivae opposita adcipi.

(x) LIMBORCHIVS collat. *de veritate R. C. cum Iudeo p. 132.*

(y) Nachricht von einer Hällischen Biblioth. P. VI. p. 489.

(z) vid. ed. Germ. s. t. *Die wabre Religion oder Religions-Prüfung C. IV. §. IX. p. 116. /qq Autorem, quem antea nemo cognouerat, vocari de la SERRE, nunc constat.*

(a) comp. DITTON *de verit. R. C., & qui hoc recentior est, D. THOM. SHERLOCK, Episc. hodieLondinensis, libro anglico idiomate, WOOLSTONO 1730 opposito, & Germanice traducto, s. t. Gerichtl Verhör der Zeugen der Auferstehung IEsu. Addatur Reu. H. W. PALM IEsu Weisheit in Offenbarung seiner Auferstehung. 1744.*

(b) im Glaubens-Bekenntniss p. 190. 191.

cipient, ab aliis tamen satis superque (c) ostensum est, locutiones eiusmodi a S. codice profus alienas esse, huic autem dicto minime conuenire. Nam carne, quae, ut antea monui, integrum CHRISTI humanitatem denotat, anima eius comprehenditur, *Ioh. I. 14., Rom. IX. 5.* Itaque Spiritus nomine, quando is carni CHRISTI opponitur, non nisi diuina illius natura aut vis, perpetua Scripturae phrasē intelligitur, *Rom. I. 3. 4. 1 Tim. III. 16.* (d) 2. CHRISTVM, cum ex temporum & animalium conditione, mortem sibi imminentem, diuinauerit, resurrectionem quidem praedixisse, sed linguam Prophetarum *Hof. VI. 2.* imitatum, instantem a miseria liberationem, s. resurrectionem impropiam, non carnalem putasse. (e) Ex. *Quis sane mentis homo ita colligit?* viuificatione nonnumquam tropice sumitur; ergo semper, certe h. l.! Prophetae homines calamitatibus oppressos consolaturi, mortui eos conferunt viuificantis; ergo CHRISTVS suam praedicens resurrectionem, quae mortem & sepulturam proprie dictam insecurita sit, de viuificatione metaphorica verba facit! Adderem, CHRISTI resurrectionem cum nostra copulari, & hanc ab illa tamquam causula deriuari; sed haec omnia ridebit empaecta, cui Scr. S. depravata, apostoli mendaces, & fidei dogmata Theologorum deliria censemur. 3. resurrectionem CHRISTI secundum Spiritum nil aliud innuere, quam ipsius carnem s. mortem, quae animam ex cruce pendentis, omni subduxerit malo. (f) Homini mente capto excidisse, quis dubitauerit, sequentia: *Der Tod, aus welchen der edle Geist unsers IEsu, nicht erst am dritten Tage, sondern schon am Creutze auferstanden, das war sein Fleisch, welches bei den alten, und sonderlich bei den Iuden der Tod genennet wurde. Denn wenn der Geist des Lebens aus dem Fleische dahin ist, so liegt ja der Tod, vor unser aller Augen, an dem verblichenen Cörper da, und der Geist ist aus demselben auferstanden, vnd aller Quaal, die er in demselben noch länger hätte aufstehen müssen, auf einmahl entrissen.* Quis vel fando inaudiuit, carnem, mortem, viuificationem s. resurrectionem, eiusdem

B

pote-

(c) Ven. MOSHEMIVS obseruat, ad CVDWORTHI systema intellectuale p. 1076. sq., & Reu. WOLLE de abusu Platonico 3 hominis partium in explanatione N. T. § XII. p. 21. sqq.

(d) IO. PHIL. STORRIUS de vocum carnis & spiritus, cum de ipso Christo dicuntur, genuino sensu & usu p. 50. 51.

(e) l. c. p. 200. (f) p. 201.

potestatis esse vocabula, in eademque oratione synonymice permisceri. Si CHRISTVM consulas, corpus idem, quod destruetum fuit, rursum excitandum est, postquam sepulcro illatum triduum quieuerat, *Io. II. 19.*  
**21.** *Matth. XII. 40;* sed iuxta EDELMANNVM spiritus, non corpus; articulo mortis, non tertia die; a miseriis liberandum, non vitae redondandum fuit. Taedet naeniari, quibus non nisi mentis emota homines fidem adhibeant. Sanctius est nobis testimonium SP. S., eodemque auctorum Euangelistarum & Apostolorum, qui tamquam testes *avtorum* veritatem resurrectionis confirmant, uno ore cum PAVLO nobis adclamantes: Christus ex mortuis resuscitatus est. Corroborat id Apostolus primitiarum nomine, quod *v. 20.* ei tributum, & *v. 23.* declaratum, resuscitationis CHRISTI ad nostram relationem, simul ostendit. Traetor videlicet PAVLVS de resurrectione Domini, tamquam principio, ex quo carnis nostrae resurrectio nascatur & noscatur. Constituit namque eos refellere, qui Corinthios confundebant, mortuorum resurrectionem in dubium vocantes, *v. 12.* Quem in finem *τὰ πρώτα* euangeli, Corinthiis adnuntiati, repetit, & in his CHRISTI maxime resurrectionem, idoneis rationibus communitat. Ulterius cum CHRISTI vita, corporis nostri resurrectionem tam arte cohaerere docet, ut illa posita, haec quoque ponatur; illa vero negata, haec pariter negetur. Quibus disputatis concludit: *Christus resuscitatus est ex mortuis, primitiae dormientium factus.* Verbum *εγένετο* omittunt nonnulli codices, Patres, versiones, teste MILLIO (g). Sine sensus discrimine id fieri, adnotant WHITBY (h) & WOLFIUS (i), qui receptam tamen lectionem tuentur. Inseritur, ut cel. CHRISTIAN. SCHOETTGEN (k) opinatur, per prolepsin obiectio cuiusdam aduersariorum, quos SCHOETTGEN non adpellat; Ven. MOSHEMIVS (l) autem Iudeos esse credit, TRIGLANDIVM, & SCHOETTGENIVM testes excitans: *Dieser Beweis des Apostels konnte von den jüdischen Lehrern angefochten werden, oder vielmehr die jüdischen Lehrer konten aus ihren ange-*

(g) *ad b. l. p. 500. ed. Oxon.*(h) *Exam Variant. lection MILLII. ed. Lugd. p. 255.*(i) *Curis Philol. & Crit. ad h. l. p. 531. 532.*(k) *borax hebraic. & talmudio. in N. T. T. I. p. 661.*(l) *Erklärung des Briefes Pauli an die Gemeine zu Corintb. ad b. l. pag. 952.*



angenommenen alten Meinungen zu zeigen sich unterstehen, daß dieser Beweis sie nicht entwaffe. Die Iuden glauben von langen Zeiten, daß die Auferstehung der Todten gleich auf die Ankunft des Messias, folgen werde &c. IAC. TRIGLANDIVS, enarratis Karaitarum & Rabbanitarum dissidiis, sigillatim R. SAADIAE rationibus pro traditionibus, quibus opus sit ad notitiam ultimi termini redēctionis, quaeque illi contermina est, resūrectionis mortuorum, subiungit (m), Messiae redēctionem cum resūrectione mortuorum a Iudeis coniunctam, duplīcem Apostolorum aetate peperisse errorem, quo quidam secundum CHRISTI aduentum protinus instare; alii iam dudum factam resūrectionem esse, sibi persuaserunt. Neque tamen ad nostrum caput haec refert, sicut nec SCHOETTGENIVS, alibi (n)inquiens: Iudei cum aduentu Messiae saepenumero coniungunt resūrectionem mortuorum. Inde forte quidam, qui Christum Messiam esse crediderunt, eo delapsi sunt, ut resūrectionem iam factam esse docuerint. Occasionem illis fortasse dare potuit illa Euangelistarum narratio, quod tempore passionis Christi sanctorum corpora ex sepulcris resurrexerint, multisque adparuerint. Mox vero subiicit: Sed hae coniecturæ sunt, quibus nihil definimus. Neque hanc suspicionem, alioquin non contemnendam, h.l. ultra coniecturam adsurgere, putem. Possunt apostoli verba sine obiectione & occupatione intelligi, si dicas, probationem factam excipere declarationem vberiorem v. g. ordinis, qualitatum corporum resuscitatorum, immutationis, quibus singulis nouas obiectiones praemittere nolle; sed de his cum nemine contendere par est, dummodo res salua sit, & CHRISTVS dormientium primitiae habeatur. Dormientes, quos habentus cum S. SCHMIDIO (o) vocau, E. SCHMIDIVS conuerit: qui obdormierunt; nec immerito, me iudice. Fons namque graecus habet prateritum, a quo vt discedamus, tantum abest, vt aliqua nos urget necessitas, vt eidem potius insistere pressius, conueniens videatur. Licet enim & eorum, qui post CHRISTI tempus obdormierunt, & ad nouissimum usque diem obdormiscent, primitiae sit CHRISTVS, id

B 2

mo.

(m) Diatribe de secta Karaeorum C. IX. p. 122. ed. prioris; p. 258 poster. edit.

(n) l.c. ad I Tim. II. 18. p. 888 889.

(o) Defendit is hanc versionem Disp. de primitiis resūrectionis, fasc. disp. theol. p. 213. sqq. denuo recusa, §. 2.

monere tamen superfluum fuisset, cum qui prioribus, posterioribus non possit non anteire. Pluris intererat ad CHRISTI gloriam, ut nemo eorum, qui ante illum obdormiuerant, ipsum praecurreret. Eos autem, qui obdormiuerunt, non omnes exanimes, sed in CHRISTO defunctos esse, ambi gi nequit, cum partim non omnes demortui, sed soli pii dormire & quiescere in S. litteris dicantur Io. XI. 11. Apoc. XIV. 13.; partim de resurrectione non in genere, sed credentium, in specie hic agatur, id quod tum res ipsa, tum anteced. & conseq. contextus arguant. Non alios quoque primitiis PAVLVS adsociat, quam qui CHRISTI sunt v. 23, resurgentium ordinem explanatus. Τάγμα enim nec proemia, nec corollas, aureolas atque laureolas, quas beatis Pontificiis distribuunt (p); sed ordinem significat, prout vocabula ἀπαρχή ἐπειδὴ εἰσαγόσ v. 23. 24.26. satis loquuntur. Cl. SCHOETTGEN (q) tres resurgentium, facit classes, primam adsignans CHRISTO; secundam sanctis Matth. XXVII. 52. 53. resuscitatis; tertiam omnibus hominibus: tandem, ait, hoc excipit τὸ τέλος, totum agmen, der ganze helle Haufe. Nimis haec quaesita & coacta, nec vni difficultati obnoxia vindentur; longe tamen tolerabiliora sunt commentis I. W. PETERSENII, qui medium locum sanctis dedit ad regnum millenarium resurrecturis (r); id autem facilius in textum S. inferet, anticipata de chiliasmo opinione obcessus, quam ex eo candidus esset interpres. Particulae εἰσαγόσ & ἐπειδὴ ordinem quidem i Cor. XII. 28 inserviant; non autem 10 saeculorum interuallum exposcent; sed haud raro a Etum continuum, aut paullo post sequentem, Marc. VIII. 25. Io. XIII. §. I Tim. II. 13. denorant, imo cum αὐταὶ consistere possunt, i Thess. IV. 16. 17. (f) Duplici igitur ordine ad quiescimus, quem DEVS ita disposuit, ut CHRISTVS sit primitiae; deinceps sequantur, qui CHRISTI sunt, eadem cum impiis hora e monumentis prodituri, Io. V. 28. 29. Primitias dum PAVLVS memorat, ad V. Tti nos remittit primitias, quas Israëlitae offerre tenebantur. De discrimine inter fructus elaboratos & non elaboratos, primitias & primitiua, bicurim & terumoth, tenu-

(p) D. CALOVIVS Systemi, L. L. Theol. T. XII. p. 345. sqq.

(q) l. c. p. 662.

(r) Im ersten Grund des zukünftigen Reiches Christi P. I. Ep. III. p. 19. sqq, &amp; in der Werke des berlischen Reiches, I. C. P. I. p. 54.

(f) D. ZELTNER de subiectione Christi gloriofa §. V. p. 8. sqq.

tenuphot & terumoth, eleuationes hinc inde ventilatas & seorsum atque deorsum, non adlatera motas, euoluantur antiquitatum S. V T. scriptores (t) Adtingo tantum primitias Paschales, quae consistebant in manipulo spicarum ex messe hordei demetendo, & coram Domino agitando, Leuit. XXIII. 10. (v), & cum Pentecostalibus confundendae non sunt. Non has, sed illus putari, res ipsa loquitur, & tantum non omnes largiuntur (x). Mihi sufficiat typum antitypo conferre. Prae reliquis (z) duo seligenda sunt, quae hoc faciunt, & in quibus primitiae CHRISTVM referunt. 1. prioritas temporis. Primitiae Paschales initium fuerunt messis, seu rerum metendo colligendarum, eoque nomine distinguuntur a biccurred Pentecostalibus Leuit. XXIII. 10. 17. (a) Ex quo faciunt est, ut ἀπαρχὴ in N. T. dicatur de omnibus iis, qui alios tempore antecedunt, Rom. VIII. 23., XI. 16., XVI. 5. 1 Cor. XVI. 15. Iac. I. 18. (b) Nec minus CHRISTVS tempore prior omnibus fuit, qui resurrexerunt, & resurgent, primogenitus ex mortuis, Col. I. 18., primus ex resurrectione mortuorum, Act. XXVI. 23., cui nemo antecessit vel antecessisse legitur. Tam in V. quidem, quam in N. T. quidam ante CHRISTVM resuscitati sunt; sed ad vitam naturalem, & denuo morituri, non ad gloriosam & perennem, de qua hic sermo est. 2. prioritas naturae & caussae. Primitiae nouum terrae prouentum demetendi, eoque fruendi potestatem faciebant, nec, priusquam eae solenniter agitatae & oblatae essent, vel falcem in segetem immittere, vel quidquam annonae degustare, aut in proprios usus conuertere cuipiam

B 3

abs.

(t) Prae ceteris celeberr. Lubec. Praeful. D. D. CARPZOV *apparatu bistorico-Critico p. 611. sqq.*

(v) Nuper integrum solennitatem copiose persecutus est Ven. D. D. DEYLING *Obs. S. P. V. p. 180 sqq.*

(x) Dissentire videtur D. VARENIVS *praef. de cadib. Mosaicis 1659.* excusis praemissa, pl. C 2. b. MOSEN ante CHRISTVM resuscitatum esse, postea defensurus.

(z) Plura habet DASSOVIVS *dissert. & Programm.* de emphasi s. vocum ex vet. hisbor. hebr. repetenda, quae 1735. coniunctim prodierunt, pag. 53. sqq.

(a) GVSSETIVS *Comment. L. Ebraicae p. 1468.*

(b) ANT. BLACKWALL *Autrib. S. classicis defensis & illustratis p. 314. edit. 1736.*

absque sacrilegio integrum erat, *Leuit. XXII. 14.* Pariter CHRISTI vita nostra est vita *Io. XIV. 19.*, & per eum resurrectio mortuorum, *I Cor. XV. 21.*, postquam mortem abrogavit, *2 Tim. I. 10.* Hinc DEus, qui Dominum resuscitauit, & nos per potentiam suam suscitaribit, *I Cor. VI. 14.* Vtraque prioritas arctissime cohaeret, nec diuelli potest, Vtramque etiam PAVLVM respexisse, nec dissententur plerique, cetero-quin dissentientes (c). Videtur tamen apostolus *v. 20.* prioritatem causae, quae *v. 21* & *22.* declaratur, & *v. 23* prioritatem temporis, quae nomine *Tayua*, dinumeratione clasium, & particulis adiectis insinuantur, in animo magis habuisse. Quae cum ita sint, quid statuendum de iis erit, qui ante CHRISTVM resuscitati feruntur? Certe plurimi Theologи nostrarum (d), MOSEN cum ELIA non in adsumto, sed proprio corpore *Matth. XVII. 3.* adparuisse, adeoque resuscitatum fuisse, sentiunt: quam opinionem post IO. HVLDERIC. HEIDENVM, Theol. Reformat. Halensem (e) data opera tuendam sibi summis CL. CHRISTIAN. IO. LVDOLPH. REVSMANN (f). Adiungunt alii sanctos cum CHRISTO resuscitatos, alii plures, de quibus videndus est Dn. GOTTLIEB WERNSDORFFIVS, hod. Professor Gedanensis, clarissimus (g). Quaestionem non esse de fide, haud aegre largior; neque sententiam eorum, qui MOSEN resuscitatum esse sibi persuadent, omni specie destitutum censeo. Quo minus autem eidem calculum adiiciam, obstat PAV.

(c) vt DANHAWER VS bodosoph. edit. 1649, & S. SCHMIDLVS fascic. disp.,  
disp. VII. ad b. I. § VII. p. 224.

(d) Nonnullos excitat Ven. D. D. HEVMANN disp. de praecipua causa, ob quam discipulis Christi tribus se conspiciendos praebuerunt, atque audiendos MOSES & ELIAS §. VII., dissert. Sylloge T. I. P. I. p. 98. Obiter his addo HVNNIVM thes. Euang. ad Matth. XVII. p. 205. & thes. Epistol. ad I Cor. XV. p. 250, VARENIVM praef. citat, & S. SCHMIDLVM diff. adlegata, qui p. 225. alias in partes vocat.

(e) Dissert. de resusc. Mosis 1723.

(f) Dissert. inaug. de Mose resuscitato, & tam corpore, quam anima gloriae conforde 1747.

(g) Quaest. Academicar. Exerc. I., qua excutitur quaestio: vtrum forsitan nonnulli pii ante diem extremum resurgent? secundum opinionem DANHaueri 1740. De DANHAWERI opinione euolui meretur D. FECHTIVS lectionib. in Syllog. p. 572. sqq.

PAVLVS, CHRISTVM ratione temporis primitias adpeilans. Leue  
hoc argumentum ducunt doctiss. Dn. WERNSDORFFIVS, & Reu.  
REVSMANNVS (h), qui primitias per principem & autorem interpre-  
tantur. Imo prior de Patribus , qui hac ratione vtuntur, iudicat, *bonos*  
*illos viros nou intellexisse, cur CHRISTVS ἀπαρχή vocetur?* (i) Plus  
roboris verbis apostolicis inesse sensit D. S. SCHMIDIVS, ideoque o-  
mnem mouet lapidem , vt ex primitiarum indole declareret, quo pacto  
CHRISTVS primitiae dici possit , tamerisi ante eum alii resuscitati fu-  
erint. Distinguit inter separationem s. destinationem , & in templum  
adlationem s. oblationem (k). At sola separatione primitiae non con-  
stituebantur, imo non nisi ante oblationem & agitationem messi locus  
fuit. Neque CHRISTVS a PAVLO hic spectatur , prout ab aeterno  
destinatus fuit; sed ratione actualis exhibitionis & resurrectionis v. 20.  
Instat vir perspicacissimus, oblationem differri potuisse; ipse vero con-  
fitetur, hoc rarius & extraordinarium fuisse, a quo typi S. scripturae de-  
sumi non solent. Neque tamen repugnauero, si resurrectio quorum-  
dam extraordinaria tam perspicue doceri possit (l), quam extraordinaria  
primitiarum oblatio. Lege enim ordinaria sanctum erat, vt manipu-  
lus hordei circa finem diei XV separatus , & mox sub initium diei XVI,  
ab obeunte sole computandi, demelitus, eodem die in sanctuarium de-  
portatus coram Domino agitaretur. Incidit ista festivitas in hunc ipsum  
diem, in quo nostrum peragimus Pascha, nobisque summa illius beneficia  
in memoriam reuocat, quod CHRISTVS hodie seipsum resuscitatum in-  
star primitiarum leuavit, & in plenam nos messem bonorum resurrectionis suae dimisit. Solennitate sua Israelitae gratum animum publice  
profitebantur, se scilicet terrae Cananaeae possessionem, eiusque ferti-  
litatem cum frugibus recentibus DEO acceptam referre. Neque nos  
officii nostri immemores hodie esse decet, qui non corporalibus tantum,

fed

(h) I. c. § XXIV. p. 29. 30.

(i) I. c. p. 12. 13.

(k) Diff. cit. de primiis resurrec̄. §. VII. p. 223.

(l) compar. S. R. Dn. D. IOACH. HENR. PRIES, disp. inaug. de non - cons-  
summatis Patribus V. T. p. 44. 45, vbi dissentientium argumenta sum-  
matim conficiuntur.

sed quam maxime spiritualibus & coelestibus per CHRISTVM potiti  
sumus bonis. Grates ei non minus ore, quam corde persoluamus, in  
spiritu mentis, fide & pietate Supremum Numen celebrantes. Bene-  
dictus DEVS & Pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui iuxta mul-  
tam suam misericordiam regeneravit nos in spem viuam per resur-  
rectionem IESV CHRISTI ex mortuis!

*P. P. SVB SIGILLO ACADEMICO,  
FER. I. PASCHAT. A. C. MDCCLXVIII.*







PAVLVS, CHRISTVM ratione temporis primitias adpe  
hoc argumentum ducunt doctiss. Dn. WERNSDORFFIV  
REVSMANNVS (h), qui primitias per principem & autor  
tantur. Imo prior de Patribus , qui hac ratione vtuntur, i  
illos viros nou intellexisse, cur CHRISTVS *απαρχή* vocet.  
roboris verbis apostolicis inesse sensit D. S. SCHMIDLIVS  
mnem mouer lapidem , vt ex primitiarum indeole declaro  
CHRISTVS primitiae dici possit , tametsi ante eum alii re  
erint. Distinguit inter separationem s. destinationem , &  
adlationem s. oblationem (k). At sola separatione primit  
tituebantur, imo non nisi ante oblationem & agitationem  
fuit. Neque CHRISTVS a PAVLO hic spectatur, pro  
destinatus fuit; sed ratione actualis exhibitionis & resurre  
Instat vir perspicacissimus, oblationem differri potuisse; ip  
fitetur, hoc rarius & extraordinarium suisse, a quo typi S.  
sumi non solent. Neque tamen repugnauero, si resurre  
dam extraordinaria tam perspicue doceri possit (l), quam e  
primitiarum oblatio. Lege enim ordinaria sanctum erat  
lus hordei circa finem diei XV separatus , & mox sub initia  
ab obeunte sole computandi, demelus, eodem die in san  
portatus coram Domino agitaretur. Incidit ista festivitas in  
diem, in quo nostrum peragimus Pascha, nobisque summa in  
in memoriam reuocat, quod CHRISTVS hodie seipsum re  
star primitiarum leuauit, & in plenam nos messem honoru  
onis suae dimisit. Solennitate sua Israelitae gratum an  
profitebantur, se scilicet terrae Cananaeae possessionem, e  
litatem cum frugibus recentibus DEO acceptam referre.  
officii nostri immemores hodie decet, qui non corpora

(h) l. c. § XXIV. p. 29. 30.

(i) l. c. p. 12. 13.

(k) Diff. cit. de primitiis resurrection. §. VII. p. 223.

(l) compar. S. R. Dn. D. IOACH. HENR. PRIES, *diss. inaug.*  
*summatis Patribus V. T. p. 44. 45,* vbi dissentientium ar  
matim conficiuntur.



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0211